



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCIX. Raptor convictus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

tasse amicorum honoravit, aliquem fortasse servulorum manumisit. Vos¹ poenam quandam propinquo vestro constituitis, ut intestatus decesserit, & bona tanquam relicta, tanquam deserta invadatis.

CCCIX.

Raptor convictus.

Educta ad magistratum, adolescentis, à quo esse vitiata dicebatur, nuptias optavit. Ille negavit se rapuisse: iudicio contendit: victus est: non recusat ducere. Illa optare vult.

S E R M O.

² Actio debet adolescentis esse summissa: nam etiam si nullo themate ad id alligatur, ut necesse sit eum raptorem videri: rei tamen iudicæ facere controversiam non potest: & videtur mihi hunc modum custodire debere, ut de raptu³ nihil neget: nihil tamen sciat.

D E C L A M A T I O.

Non aliud, iudices, causæ meæ aptius, aut verecundiæ necessarium magis est, quam ut puellæ mitissimæ clementissimæque gratias agam. Lege permittente omnem in me potestatem, optare nuptias etiam festinavit, nondum me rogante, nondum (†indicare enim suppliciter necesse

¹ Poenam quandam servo.] Rupto, injusto, vel irrito facto testamento, & libertates cum legatis amittuntur. Ergo in poenam quodammodo servorum, testamentum ad intestati causam recidit. Quid si ita legamus? Vos poenam quandam tanquam servo constituitis, &c. Erød.

² Eiusdem argumenti declamatio est apud Senecam lib. 7. Declamat. ult. & lib. 4. contrav. 4. Atque hinc facile, ut ex multis aliis locis, perspicere licet, quam in tractandis his questionibus, & colorata oratione vestiendis, hos omnes Quintilianus antecelluerit, quorum varios sermones collegit Seneca, libris illis Controversiarum. Idem.

³ Nihil neget, nihil tamen sciat.] In hoc certe rectius & magis accommoda-

te, quam & Latro, & Varius Geminus, qui uti vel negandum, vel contendendum omnino esset, ita pro eo dixerunt qui rapuit. Color igitur Quint. aptior. Idem.

⁴ Judicare enim suppliciter.] Alias iudicare enim se supplicitem necesse est, hoc est, condemnare se, & raptorem fateri, ut sint hæc verba Quintiliani conversa ad discipulos. Erødus. Indicare enim suppliciter.] Erødus edidit: nondum me iudicare enim: & præterquam, quod in notis, ad marginem ait, alios legere, ut appareat legendum ex sequentibus: advocare enim amicos suppliciter. At tu habe: nondum (indicare enim suppliciter necesse est) rogante. Declam. 315. Ego si melior essem pater, illud quoque suppliciter confiterer. Gronovius.

neceſſe eſt) ſaltem confitente, ita facile, ita celeriter, ut vix mihi veriſimile videretur, illam injuriam accepſiſſe. Proxima, ab hac gratiarum actione, debet eſſe confeſſio. Peccaſſe me, quod dubitaverim, fateor. Quid enim mihi contingere optabilius potuerat, etiam ſi non rapuiſſem? Sed hujus qualiſcumque culpæ meæ ſpes omnis, in animo iſtius eſt quæ ignoſcere ſolet. Quantumlibet contradicendo peccaverim, minus eſt hoc tamen, quam quod rapui: intelligo autem, iudices, hanc primam mihi in hac cauſa habendam eſſe rationem, ne me quod negavi, ¹ feciſſe callide ac maligne exiſtinetis. Scitis ² quam multa faciat error, quam multa permiſceat fortuna, cum præſertim ad hæc & obſcuritas noctis, & paulo liberioris meri. Quis enim aliter vitiator eſt? ignorantia hæc mea te frugi & innocentem (non eſt dubitare jam fas) feſellerunt: ita vixeram ſemper, ita cuſtodire probitatis meæ cupieram famam, ut me peccaſſe mirarer. Itaque confiteor, actum de me erat, ſi in aliam incidiſſem. Nam (ut dixi) neque ad genua procubueram, neque propinquos, aut amicos advocaveram: ſed movit puellam ipſum (ut credo) ignorantia meæ periculum, perſuaſerat ſibi, nihil me feciſſe temerariæ libidinis cauſa. Nec me malo hoc animo negaſſe, ex hoc apparere vobis poteſt. Negavi, poſtquam iſta nuptias optavit. Gratias ago & iudicibus: emendaverunt contumaciæ detrimentum, amiſeram puellæ optimæ conditionem, ſi viciſſem. Ergo quod ſuper eſt, gratulemur. Jus eſſe raptæ optandi adverſus raptorem, hoc jam non negamus: ſed illud quoque æque conveniat neceſſe eſt, bis adverſus eundem raptorem optandi non eſſe jus. Et ſi hoc

in con-

¹ Feciſſe callide ac maligne exiſtinetis.] Hanc diſiſionem ſecutus eſt Paſſienus apud Senecam. *Ærodius.*

² Quam multa permiſceat fortuna.] Hic non tantum corrupta, ſed & turbatus ordo verborum videtur. Tentabam: quum multa permiſceat fortuna, cum præ-

ſertim accedit & obſcuritas noctis & paulum liberioris meri. Ignorantia hæc me & ſugalitas innocens feſellerunt: ita vixeram ſemper, ita cuſtodire probitatis meæ cupieram famam, ut me peccaſſe mirarer. Non eſt dubitare jam fas. quis enim alius vitiator eſt? Non confiteor, &c. Gronovius.

in confesso fuerit, illud quoque teneamus, optasse jam puellam.

S E R M O.

Hæc sunt, quæ inter utranque partem necessario conveniunt.

D E C L A M A T I O.

¹ Negat optionis expletum esse jus, quod ante optaverit, quam certum esset rapuisse eum, contra quem optabat. ego autem in lege nullam animadverto differentiam: & hoc unum exceptum, ut rapta raptoris mortem opter. ² viderimus, an in controversiam res adducta sit postea, interim certum est hunc fuisse raptorem. Ergo cum & tu rapta esses & hic raptor esset, & lex raptæ optare permetteret, & tu optaveris, non video, quare non finitum jus sit. At postea tu negasti te esse raptorem. Ideo victus sum. Feci, si vis, improbe, (differo enim istius rei defensionem) feci temere: quid tamen aliud quæri potuit in illo iudicio, quam hoc, quam tu merito optasses? probasti raptorem fuisse me, hoc est, probasti te recte optasse. Volui rescindere optionem tuam: non contigit.

S E R M O.

Hæc circa jus, illa circa equitatem.

D E C L A M A T I O.

Bis optare vis, ³ quod etiam semel multum est. Potestatem tibi vitæ ac necis lex dedit. Ultra regnum omne, ultra tyrannidem omnem est, hoc diu licere. Fulmina ipsa

velo-

¹ *Negat optionis expletum esse jus.*] Hoc est quod Fuscus dicebat apud Senecam, optionem eam esse, quæ legitime facta sit. hanc nec legitime, nec jure factam: quia legem optandi habere non potest, quin prius consententem raptorem habeat. at hic pernegabat. ergo repetendam optionem, quasi prior non suo die facta sit. l. optione. ff. de optio. lega. & uti jusjurandum quod minus solenniter factum est, repeti debet. l. qui per salutem. ff. de jurejur. *Ærodius.*

² *Viderimus quæ in controversiam res adducta sit.*] Nam cum raptor negaret, videtur id modo in iudicium deductum esse, an hic raptor, hæc rapta sit: & an hinc nata esset optandi occasio. non autem, an hæc aut illa res ex lege optata & electa sit. *Idem.*

³ *Quod etiam semel multum est.*] Seneca, Proponite supplicii faciem: hoc semel licere nimium est. Nihil tam civile, tam utile est, quam brevem potestatem esse, quæ magna est. *Idem.*

velociter cadunt : habet finem aliquem expectationis securis illa carnificis. Si mortem optasses, & nuptias optare velles, videreris etiam facere contra legem : & esset, qui diceret ; ante deliberasses, ante dispexisses, emissa vox est, ¹ potestatem tuam ipsa finisti. Nunc vero cum optaveris nuptias, mortem optare vis, ² quæ ista ad crudelitatem poenitentia est? Intellexit & ipsa quam sævum, quam crudele sit. Plus enim postea mali feci? Ignovisti quod rapueram : ignovisti quod abstuleram virginitatem : hæc nuptiis æstimasti : morte æstimas verecundiam. Neque ego, cum me rapuisse negarem, nuptias tuas recusabam : volebam ³ ducere non tanquam raptor : cum me hoc modo putarem fore chariorem, si tibi injuriam non fecissem, vel fallere animum tuum volui, ne irascereris. Sed & ipsi iudices hoc pronuntiaverunt, hoc spectaverunt. Quæstionem enim fuisse putas, an ego rapuissem, cum ego dicerem. Non rapui, non hi mores sunt mei, honeste semper vixi, frugaliter vixi. Quæ probatio hujus criminis mei? quis testis? Dicebantur illa contra : periclitaris, & male tecum agitur, ⁴ nuptiæ sunt, de quibus litigas. Fecerunt iudices, quod parentes nostri fecissent : id pronuntiaverunt, in quo victus gratias ageret. ⁵ Sed spe suspendit, & vult videri nunc quoque factura, quod fecit. Si beneficium vitæ repetere vis, dedisti ; non possum plus debere, si repetis. Quam autem causam habes renovandæ optionis, si optatura nuptias es? si vindicari vis à me metu, timui : si rogari vis,

rogo :

¹ *Potestatem tuam ipsa finisti.* Seneca ex Publico Aspernate, optio (inquit) semel puellæ datur. immutabilis est: semel emissa est. Iudex quam tulit de reo tabellam revocare non potest. huc pertinet. l. apud Aufidium. ff. de optio. lega. l. servi electione. ff. de lega. lib. i. l. si quis. ff. de verbo. obligat. *Idem.*

² *Quæ ista ad crudelitatem poenitentia est.* Seneca ex Albutio, Qui potest condemnare, possit semel : qui potest occidere, possit semel : aut si qua itera-

tio recipi potest, in poenitentiam mortis recipienda est. *Idem.*

³ *Ducere non tanquam raptor.* Hispanus Cornelius, Non subducere illi (inquit) maritum volui, sed honestiorem dare. *Idem.*

⁴ *Nuptiæ sunt de quibus litigas.* hoc est, non te raptorem esse abnegas, sed nuptiæ displicent. *Idem.*

⁵ *Sed spe suspendit.* Potest intelligi, me. Sed malo spe suspendit, & intelligere meam. Gronovius.

rogo: & rogo per illam clementiam tuam: rogo jam tanquam maritus: & intelligo, tota mihi vita hoc agendum, ut satisfaciam.

CCCX.

Fortis bis adulterii damnatus.

BIS ADULTERII NOTATUS IGNOMINIOSUS SIT. Notatus adulterii, fortiter fecit, petit præmii nomine, ut iterum accusaretur. Impetravit, accusatus est iterum, & damnatus. Dicitur ignominiosus. C. D.

DECLAMATIO.

QUANTA gratia prematur in foro, quam impudenti calumnia inimicorum suorum vexetur & hoc ipsum iudicium argumento est: videlicet, contemnunt hominem militem, nihil minus quam litibus idoneum. Sed formulæ inimicitiae tum valere possunt, cum de aliquo facto mentiri licet, cum testes subornare. Cæterum in his, quæ ad intellectum iudicium pertinent, gratia sine vitio cognoscentium nihil est. Nemo igitur nostrum negat, ita in lege scriptum esse: Qui bis adulterii damnatus est, ignominiosus sit. Ne id quidem negabitur. Bis in iudicium hunc descendisse: bis contra hunc latam esse sententiam. Sed si manifestum fuerit, legem non ideo esse conscriptam, ut hoc genus damnationis ignominiam faciat, si ne incogitationem quidem cuiusquam cadere omnino potuit, aliquem ex eadem causa bis potuisse damnari, profecto manifestum est, non in aliud scriptas esse leges, in aliud valere. Quæro igitur ex ipsis adversariis: Cur bis damnatum adulterii, ignominiosum esse voluerint? Ut opinor, Iudices, quoniam una damnatio habebat aliam & suam pœnam: geminatio criminis afferebat ignominiam, neque immerito.

1 *Formula inimicitiae.*] Sic Demosthenes, *δὴν φθόνῳ καὶ ὑπερφῶν καὶ ἐκ περσείας κερτηγρεῖν.* Erodius.

2 *Ad intellectum iudicium.*] A Pithœo

vox *iudicium* addita est: Thaddæus & Erodius ignorant. Num voluit, *iudicium?* Gronovius.